DECRETA ET STATVTA SYNODI DIOECESANÆ MECHLINIENSIS:

Die quinta Maij anni milleſimi ſexcenteſimi noni inchoatæ, & die ſexta eiuſdem anni & menſis abſolutæ.

Præſidente in ea Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo in CHRISTO *Patre ac Domino* D. MATTHIA HOVIO *Archiepiſcopo Mechlinienſi.*



ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONVOCATIO SYNODI DIOECESANÆ MECHLINIENSIS.

MATTHIAS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Mechlinienſis, vniuerſo Clero & populo Ciuitatis & Diœceſis noſtræ, Salutem in Domino.

CVM *Archiepiſcopale munus noſtrum exigat, vt quæ anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo in Synodo noſtra Prouinciali ſalubriter decreta & conſtituta, atque anno ſequenti à Sanctiſſimo D. N. D.* PAVLO *Papa V. debitè*

Digitized by Google

confirmata ſunt, in Synodo Diœceſana iuxta Sacros Canones publicentur, ac deinde executioni mandentur; conſilio præhabito cum Capitulo noſtro Metropolitano, ſtatuimus atque decernimus per præſentes Synodo Diœceſanæ celebrandæ Feriam tertiam poſt Inuentionem Sanctæ Crucis, quæ erit quinta Maij anni præſentis. Quare dictum Capitulum noſtrum Metropolitanum, Reuerendos Dominos Abbates, Abbatiſſas, Præpoſitos, Capitula Eccleſiarum Collegiatarum, Archipreſbyteros rurales, Priores, Prioriſſas, ceteroſque omnes, qui de iure vel conſuetudine Synodo noſtræ Diœceſanæ intereſſe debent, in Domino monemus; & nihilominùs Sacri generalis Concilij Tridentini ac noſtra Archiepiſcopali auctoritatibus, in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub pœnis à iure ſtatutis, diſtrictè eiſdem præcipimus &

man-

Digitized by Google

mandamus; vt per ſemetipſos, aut ſi fortè iuſto detineantur impedimento, (de quo competentem fidem facere tenebuntur) per Procuratores ſuos legitimos, ad dictam Synodum Diœceſanam, in ciuitate Mechlinienſi præſcripto die, hora ſeptima matutina in Seminario Archiepiſcopali celebrandam, tempeſtiuè conueniant in habitu graui, ſuoque Ordini ac Religioni conuenienti, ad audiendum legitimam publicationem decretorum ſupradicti Concilij Prouincialis, & eorum quæ ad eius faciliorem atque vniformem executionem ac morum correctionem, pro temporum ratione, per modum ſtatutorum Diœceſanorum, matura deliberatione præuia, declaranda cenſebimus: cum intimatione tali, quòd ſiue ad diem & horam prædictas præſentes fuerint, ſiue abſuerint, ad eiuſdem Synodi Diœceſanæ celebrationem, ac ſtatutorum de-

ciſionem ac publicationem procedemus, abſentium contumacia non obſtante: decernentes nihilominùs abſentes perinde ac præſentes ad obſeruationem omnium illorum, quæ ibidẽ publicabuntur, ex eo tempore obligatos; ipſoſque, niſi legitimè excuſati fuerint, & eorum excuſatio admiſſa, pro qualitate culpæ & contumaciæ, iuſtitia exigente, meritò puniendos fore, prout eos, ne eorum exemplo & impunitate alij negligentes reddantur, auctoritatibus præfatis obligari & puniri volumus & mandamus per præſentes. Vt autem hæ noſtræ litteræ ad omniũ, quorum intereſt, notitiam perueniant; earum exempla per Secretarium noſtrum ſubſignata, & contra-ſigillo noſtro munita, valuis Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, necnon Eccleſiarum Collegiatarum Sancti Petri Louanij & Sanctæ Gudulæ Bruxellis, affigi volumus: ac per huiuſmodi affixionem, eos omnes,

omnes, quos concernunt, ſic obligari decernimus & declaramus, ac ſi dictæ noſtræ litteræ ipſiſmet coràm lectæ ac inſinuatæ fuiſſent.

Datum Mechliniæ in Palatio noſtro Archiepiſcopali, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nono, die 2. menſis Martij.

✠ De mandato R^mi & Ill^mi Domini Archiepiſcopi Mechlinienſis.

Iac. van Saſſeghem Secret.

Digitized by Google

DECRETVM,

Quòd nulli præiudicium fiat ex ordine ſeſſionis in hac Diœceſana SYNODO, *pronuntiatum à Reuerendo Domino Archidiacono Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis.*

REVERENDISSIMVS & Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus Mechlinienſis ſtatuit & decernit, ſi cui in hanc Synodum admiſſo contigerit ſuo loco non incedere, vel non ſedere, aut alium quempiam actum in eo gerere, non ideò cuiquam ius acquiri, aut acquiſitum eſſe, nihilque de huiuſmodi iure aut poſſeſſione detrahi, ſed omnia in eodem ſtatu permanere, in quo ante hanc Diœceſanam Synodum reperiebantur.

Index

Digitized by Google

Index Titulorum totius Synodi.

TITVLVS I.
De profeſſione fidei, ac his quæ ad eiuſdem fidei integritatem conſeruandam pertinent.
TIT. II.
De Sacramentis in genere.
TIT. III.
De Sacramento Baptiſmi.
TIT. IV.
De Sacramento Confirmationis.
TIT. V.
De Sacramento Pœnitentiæ.
TIT. VI.
De Sanctiſſimo EVCHARISTIÆ *Sacramento.*
TIT. VII.
De Sacramento Extremæ Vnctionis.
TIT. VIII.
De Sacramento Ordinis.
TIT. IX.
De Sponſalibus & Matrimonio.
TIT. X.
De Doctrina & prædicatione Verbi Dei.
TIT. XI.
De Officio diuino, Cærimonijs, Locis ſacris, & exequijs Defunctorum.
TIT. XII.
De Feſtis & Ieiunijs.
TIT. XIII.
De Sanctorum Reliquijs, & Imaginibus.
TIT. XIV.
De Superſtitione & Exorciſmis.

Digitized by Google

TIT. XV.

De Archiepiſcopali Sede vacante.

TIT. XVI.

De Archipresbyteris, Paſtoribus, & Cuſtodibus, eorumque officijs.

TIT. XVII.

De vita & honeſtate Clericorum.

TIT. XVIII.

De Beneficijs & Officijs Eccleſiaſticis, ac Beneficiatorum reſidentia.

TIT. XIX.

De Scholis.

TIT. XX.

De Seminario.

TIT. XXI.

De elocatione & conſeruatione bonorum Eccleſiaſticorum.

TIT. XXII.

De Regularibus & Monialibus.

TIT. XXIII.

De Iudicibus, Delegatis, & Examinatoribus.

TIT. XXIV.

De Synodo Prouinciali, & Diœceſana.

DE-

Digitized by Google

DECRETA ET STATVTA SYNODI DIOECESANÆ MECHLINIENSIS.

TITVLVS PRIMVS.

De profeſſione fidei, ac his quæ ad eiuſdem fidei integritatem conſeruandam pertinent.

CAPVT I.

PERSONIS Laicis de fide Catholica publicè vel priuatim diſputare, ſub pœna excommunicationis prohibitum eſſe, Paſtores alijque Concionatores ſubinde populo inculcent.

Cap. 2. §. Inhibemus quoque, de hæreticis, in 6.

CAPVT II.

DECRETVM nouiſſimi Concilij Prouincialis de profeſſione fidei à Profeſſoribus facienda, Lectores in clauſtris Monachorum & conuentibus Regularium etiam obligat; eorum tamen qui Religioſi fuerint

Digitized by Google

fuerint commoditati ſeruientes, permittimus, vt illam præſtent coram ſuo quique Superiori Regulari tantùm.

CAPVT III.

SIMILITER Religioſi ad concionandum deinceps admittendi facient fidei profeſſionē iuxta Bullam Pij IV. coram Superioribus ſuis Regularibus, quos ad id deputamus; & de ea facta docebunt, quando ſe nobis ſiſtent benedicendos, vel generaliter ad concionandum admittendos. Idemque ſeruetur quoad Religioſos, qui ad excipiendas confeſſiones deinceps admittentur.

CAPVT IV.

ETSI decretum ſacri Concilij Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. De reform. quoad fidei profeſſionem non extendat ſe ad Canonicos Eccleſiarum Collegiatarum, dignitatéſve in ijs obtinentes, præterquam ad ſolos Decanos, quibus cura animarum in Capitulares incumbit: quia tamen temporum calamitas, & inualeſcentium hæreſum malitia cogit, vt nihil prætermittatur, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ fidei præſidium, videatur poſſe pertinere; mandamus vt omnes ac ſinguli canonicatus aut dignitates in Eccleſiis Col-

Collegiatis deinceps obtenturi faciant fidei profeſſionem, ſinguli in Capitulo ſuo, antequam reſidere incipiant.

CAPVT V.

CONSTITVTIONEM quoque Pij IV. incipientem, *Iniunctam nobis*, reuerenter amplectentes, declaramus eos omnes, quibus de Monaſterijs, conuentibus, domibus,& alijs quibuſcumque locis Regularium prouidebitur,ad fidei profeſſionem emittendam teneri.

CAPVT VI.

FIDEI profeſſionem emittere obligatus, opera procuratoris non vtatur, ſed per ſeipſum id præſtet. Et ſuper fide Catholica vniuſcuiuſque profeſſionem emiſſuri, is qui eam excipiet, ſummariam informationem antè capiet; ſi &quatenus id requiri aut expedire iudicauerit.

CAPVT VII.

STATVTO Concilij Prouincialis, vt nemo præter Typographos, Bibliopolas, & Librarios iuratos, vllos libros excudere aut venales exponere præſumat, contrauenire cenſendi ſunt, qui paſſim abſque licentia & permiſſione Superiorum quoſcumque libros, cantilenas, ephemerides, aut ſimilia ante fores templorum, aut in

alijs

alijs publicis locis venalia exponunt, vel plateatim circumferunt. Ideoque rogat hæc Synodus omnes Prætores, & quoſcumque alios id impediendi auctoritatem habentes, vt ea vtantur, etiam quoad confiſcationem eiuſmodi librorum, cantilenarum, & ephemeridum, prout olim Carolus V. Imperator auguſtæ memoriæ edicto ſanciuit anno 1550. quod & anno 1556. confirmatũ eſt à Rege Philippo ſecundo.

Capvt VIII.

Regula 4. Indicis librorũ prohibitorum.

Cvm abſque legitima licentia Epiſcopi vel Inquiſitoris nemini ſacra Biblia vulgari linguá legere ſeu habere liceat, & aliter ea legere ſeu habere præſumens peccatorum abſolutionem percipere nõ poſſit, niſi priùs Biblijs Ordinario redditis; Bibliopolæ exactè obſeruent, quod regula quarta Indicis librorum prohibitorum ipſis mandatur, vt ſcilicet nemini prædictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conſcripta vendant, vel alio quouis modo concedant, ſub pœnis in eadem regula contentis.

Capvt IX.

Non eſt ferenda eorum temeritas & irreuerentia, qui verbis & ſententijs ſacræ Scripturæ ad ſcurrilia, detractiones, ſuper-

Digitized by Google

ſuperſtitiones, libellos famoſos, & ſimilia, impiè abutuntur. Ideoq́ue omnes eiuſmodi homines nobis denuntientur, vt in eos, tamquam temeratores & violatores verbi Dei, debitè iuxta præſcriptum ſacri Concilij Tridentini animaduertere valeamus. *Seſſ. 4. in fine.*

TITVLVS II.

De Sacramentis in genere.

CAPVT I.

PAROCHI materias Sacramentorum fideliter ac ſollicitè cuſtodiant; & nemini vmquam, etiam prætextu medicinæ, vel maleficij tollendi, eas tradant: neque ipſi ad alium vſum, quàm ad quem ab Eccleſia deſtinatæ ſunt, vti præſumant, ſub pœna arbitraria, eaq́ue graui. *Pontific. ex Conc. Maguntiaco, can. 27.*

CAPVT II.

DVM ſacro oleo Catechumenorum, vel infirmorum, deficienti admiſcendum eſt oleum nō conſecratum, guttatim hoc fiat; ita vt quantitas eius quod infunditur, ſemper minor ſit, vel certè non notabiliter maior quantitate olei conſecrati.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

Cap. Ad Apoſtolicam, de Simonia.

SACRAMENTA omnia liberè conferantur, nihilque omnino directè vel indirectè in eorum adminiſtratione exigatur; vltrò tamen oblatum licitè accipi poteſt. Imò ſiquis ex laudabili conſuetudine debitum ſoluere noluerit, id nobis ſignificetur; vt eum, veritate cognita, ad piè introductam conſuetudinem perpetuò retinendam ex Canonum iure cogamus & compellamus.

TITVLVS III.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPVT I.

QVANDO fons ſacer iuxta præſcriptum Cōcilij Prouincialis mundabitur, aquæ illius in piſcinam infundantur.

CAPVT II.

PASTORES formam Baptiſmi lingua vernacula populo ſæpè inculcent; ſimulque doceant, cum pronuntiatione verborum formæ, ipſam infuſionem aquæ moraliter concurrere debere.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

QVIA poſt celebrationem Concilij Prouincialis compertum eſt, quòd mulieres per appoſitionem ſalis apud pueros expoſititios non idem ſemper ſignificare intendant, ſed ſubinde collatum eſſe Baptiſmum, ſubinde verò contrarium: ideò ſemper & indiſtinctè pueri expoſititij ſub conditione baptizentur, ſiue ſal ijs appoſitum fuerit, ſiue non.

CAPVT IV.

PAROCHI ob id quòd puer baptizandus ſit illegitimus, vel ex parentibus pauperibus & exteris caſu illic natus, nulluſque pro eius alimentatione fideiuſſor ſeſe offerat, ipſum baptizare non recuſent aut differant, etſi Magiſtratus loci, vel alij quicumque, ob prædictas vel alias ſimiles cauſas, puerum baptizari prohibeant.

CAPVT V.

CVM quis per Procuratorem, infantem è ſacro fonte ſuſcipit; non Procurator, at ipſe cognationem contrahit: eoque caſu vterque, tam mandans ſcilicet, quam mandatarius, libro baptizatorum inſcribatur, hoc modo, *N. nomine N.* *Sacra congreg. Conc. Trid. ſuper c. 2. ſeſſ. 24. De reform. matr.*

CAPVT VI.

Sacra Congregatio vbi ſuprà.

IN Baptiſmo, qui domi in neceſſitate datur, cognatio contrahitur; non etiam cùm cærimoniæ, quæ tunc defuerunt, in Eccleſia adhibentur. Quare Baptiſmus infantis, qui domi ob neceſſitatem baptizatus eſt, in librum baptizatorũ ita referatur, vt ſi alius domi ad Baptiſmum, alius in Eccleſia ad Catechiſmum exorciſmumq́ue adhibitus ſit Patrinus, vtriuſque nomen in hunc modum ſimul annotetur, *Suſceptor in Baptiſmo N. Suſceptor in Catechiſmo & exorciſmo N.*

CAPVT VII.

NON admittantur in Patrinos notoriè hæretici, notoriè excommunicati, publici vſurarij, vel aliter publicè infames; neque etiam minores duodecim annis, aut qui per inopiam mentis notitiam non habent eius fideiuſſionis, ad quam ſe offerunt; eademq́ue cautio ſit de Commatribus.

CAPVT VIII.

Can. 101. & 102. De conſecrat. diſtinct. 4.

MONACHI quoque, etſi Abbatiali fulgeant dignitate, de Baptiſmo aliquem ſuſcipere, compatreſq́; aut commatres habere, ſacris Canonibus prohibentur.

Digitized by Google

tur. Quàre nec per Procuratorem eiuſmodi cognationem contrahere ipſis licet.

CAPVT IX.

INFANS peſte laborans, aut eo nomine ſuſpectus, quia ex matre peſtifero morbo affecta eſt natus, quàm primùm à Sacerdote peſte laborantium curam gerente infuſionis ritu baptizetur. Vbi verò eiuſmodi Sacerdos vel non eſt, vel non adeſt, idem confeſtim ab alio præſtetur, qui præſens baptizandi formam norit. Poſteà ſi infans ſuperſtes fuerit, ſimulatque ab omni ſuſpicione liber erit, in Eccleſia ſua parochiali Parocho ſiſtatur, vt is reliquas ſtatas cerimonias ex inſtituto Eccleſiæ adhibeat.

CAPVT X.

RELIGIOSI inſtituti olim fuit, diem Baptiſmi, qui ſolemni abrenuntiationis ſponſione inſignis eſt, quotannis à fidelibus piè celebrari. Quæ ſanè inſtitutio cùm ad pietatis Chriſtianæ cultum, piamque morum diſciplinam, non par[illegible]n adiumenti adferre ſoleat; eam in vſum reuocari vehementer in Domino cupimus. Itaque Parochi & Confeſſarij, prout occaſiò tulerit, cohortationis officio in id incumbant; vt fidelium, quorum curam gerunt, vnuſquiſque diem illum, quo baptizatus

eſt, non conuiuiorum apparatu, non luxu, non operibus tenebrarum, cùm dies lucis ſit, ſed ardentiori prece, eleemoſyna, ſi per facultates liceat, omniq́ue charitatis opere atque officio, & pietatis exercitatione, ſpiritaliſq́ue gaudij celebritate quotannis recolat, memor ſe chirographo damnationis deleto, hereditatis cæleſtis participem in Chriſto Domino factum fuiſſe.

CAPVT XI.

INFANTES ſine Baptiſmo morientes in loco ſacro non ſepeliantur.

TITVLVS IV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPVT I.

SI quos præmaturè parentibus orbatos, vel alios quoſcumque, poſt debitam inquiſitionem adhuc dubitare contingat, num Sacramentum hoc ſuſceperint, nécne; illi dubium ſuum nobis exponant, vt ſub conditione confirmari poſſint; ſi ita fieri debere iudicauerimus.

Digitized by Google

CAPVT II.

CHRISTIANÆ fidei rudimentis non edoctus, non ſe ingerat ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmatum. *Pontificale.*

CAPVT III.

NON confirmatus nec ad ſuſceptionem primæ tonſurę admitti, nec Patrinus eſſe poteſt. Et generaliter qui in Baptiſmo Patrinus eſſe prohibetur, hîc quoque eſſe non poterit. *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 4. De reform. Can. 100. diſtinct. 4 De cõſec. & Pontificale.*

CAPVT IV.

IEIVNI ad Confirmationem accedant, & ſi non perfectæ ætatis, vt Concilio Aurelianenſi olim ſtatutum fuit; ſaltem ſeptennio non ſint minores, vt meliùs ſuſcepti Sacramenti memores eſſe poſſint, niſi ex rationabili cauſa confirmanti aliud videatur. *Can. Vt ieiuni. diſt. 5. De conſecr.*

CAPVT V.

CONFIRMATI ſecundo demũ aut tertio die poſt ſuſceptũ hoc Sacramentũ faſcias deponant; & tum frontes eorum ſale & aqua à Sacerdote lauentur & abſtergantur. Porrò faſciæ conſeruentur in Sacrario, aut alio loco honeſto, comburendæ ad cineres ſacros in die Cinerum. Aqua verò lotionis in piſcinam mittatur.

Digitized by Google

TITVLVS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPVT I.

CONFESSARII prudentes ſint ac circumſpecti, non ſolùm in iniungendis pœnitentijs (ideoque etiam pro peccato occulto pœnitentiam publicam non imponant) verùm etiam in exanimando pœnitentes, præſertim circa vitia carnis; ne indiſcretis interrogationibus eos doceant peccata quę ignorant, vel aliter ſcandalizent.

CAPVT II.

MEMINERINT etiam occaſiones propinquas peccandi mortaliter vitandas eſſe, eaſque vitare nolentibus beneficium abſolutionis nō eſſe impendendum. Et generaliter ea ſinceritate, prudentia, & ædificatione munere ſuo fungātur, quemadmodum & tanti miniſterij ſanctitas poſtulat, & animarum ſalus depoſcit.

CAPVT III.

NEMO etiam vota obedientiæ à filiabus confeſſionis exigat vel admittat, ſub pœna arbitraria.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IV.

SI (quod abſit) Sacerdotem cum filia ſpirituali, quam baptizauit, vel de ſacro fonte leuauit, vel in confirmatione tenuit, aut cum muliere, cuius ſacramentalem confeſſionẽ audiuit, fornicari contingat; ſciat quicumq; hoc ſcandalũ dederit, ſe mox deponendum, & inſuper iuxta ſacros Canones ſine conniuentia puniendũ.

Can. Si quis Sacerdos, & can. Non debet. 30. quaſt. 1

CAPVT V.

NEC ex ritu antiquo ſit, nec ex ſapientum vſu, nec ex ratione, nec ex dignitate Sacramenti, vt Confeſſarius dum pœnitentem abſoluit, aperto ſit capite. Quare deinceps non niſi capite coopertus Sacramentalis abſolutionis ſententiam ferat.

CAPVT VI.

CASVS Archiepiſcopo reſeruati ſunt hi: ſodomia cum alijs delictis eiuſdẽ generis grauioribus, raptus virginum, homicidium voluntarium, incendium ex deliberata voluntate procuratum, ſimonia, hæreſis, apoſtaſia, inceſtus cum conſanguineis, aut Sanctimonialibus, iniectio manuum violenta deliberato propoſito cum læſione in parentes facta, ſortilegium, adulterium notorium, & omnia delicta, quæ

excommunicationem Ordinario reſeruatam annexam habent.

Capvt vii.

Pavperes de annua ſaltem confeſſione ac Communione in Paſchate legitimè non docentes, prima vice ad tres menſes, ſecunda verò vice in perpetuum omni ſubſidio menſæ S. Spiritus priuentur.

Capvt viii.

Vt peruerſis & reprobis hominibus omnis calumniandi occaſio, quantum fieri poteſt, ſubtrahatur; vltra ea, quæ circa huius Sacramenti adminiſtrationem in Concilio Prouinciali ſtatuta ſunt, mandamus, vt dum tenebræ ſunt, nemo niſi adhibito lumine feminarum confeſſiones excipiat.

TITVLVS VI.

De S[mo] Evcharistiæ *Sacramento.*

Capvt i.

Parochi ſubditos ſuos ſępè hortentur, vt dum Sanctiſſimũ hoc Sacramentum ad ægrotum defertur, indeque ad Eccleſiam reducitur, frequentes illud ac deuotè comitentur,

Digitized by Google

tentur, tedaſque ardentes eidem pręferant; necnon vt ægrotantis cubiculum ab omni ſorde priùs purgetur, & menſa ſi non nitida mappa, ſaltem alio mundo linteo honeſtè conſtrata, & cruce, luminaribus, ac vaſculo aquæ benedictæ inſtructa præparetur, in qua pyxis cum Sanctiſſimo ipſo Sacramento collocari poſſit.

TITVLVS VII.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

CAPVT I.

DVM ſacrum oleum infirmorum ad ægrotos defertur, Cuſtos ſuperpelliceo indutus lumen præferat, non etiam nolam ſonantem.

CAPVT II.

SI ægrotus dum ſacro oleo vngitur extremum ſpiritum emiſerit, Parochus vngere deſiſtat. Si verò aliqua morbi vis derepentè illum oppreſſit, vt dubitetur viuúſne ſit, an mortuus, Parochus ea conditione in vngendo vtatur: *Si es viuus, per iſtam ſanctam vnctionem*, &c.

TITVLVS VIII.

De Sacramento Ordinis.

CAPVT I.

TESTIMONIA vitæ, iuxta præſcriptum Concilij Prouincialis ab ordinandis adferenda, ſint inſuper debitè clauſa & obſignata; vel ſaltem, ſi ordinandi ſint Regulares, ab eorum Superioribus ſubſignata, & conſueto ſigillo munita.

CAPVT II.

NE quis fortè à ſuſceptione Ordinis Sacerdotij à nobis reiectus, ad confuſionem apud ſuos euitandam miniſterium ſacerdotale quod non accepit ſacrilega temeritate vſurpare attentet; mandamus, vt nemo primitias celebrare permittatur, antequam Superiori Eccleſiaſtico, ſæculari, vel Regulari eius loci, vbi primitias celebrare intendit, litteras ſuſcepti Sacerdotij exhibuerit.

CAPVT III.

VT Clericus ſæcularis ſacris Ordinibus initiandus antè docere debet, ſibi prouiſum eſſe de ſufficienti titulo beneficiali,

vel

Digitized by Google

vel patrimoniali, & inſuper iurare quòd titulum illum, quem pro futura ſua promotione exhibet, verè & ſinę vlla fraude poſſideat: ita quoque Clericus Regularis teſtimonio ſui Superioris antè docere debet, ſe religionis, cui aſſcriptus eſt, profeſſionem emiſiſſe, & inſuper iureiurando affirmare, ſe eam ſponte feciſſe, aut ratam habuiſſe; illudque in regiſtro ordinandorum diſertè exprimatur.

CAPVT IV.

ORDINATI Sacerdotes intra quadraginta dies, iuxta antiquam conſuetudinem, primitias celebrent.

CAPVT V.

ORDINANDI titulo patrimoniali copiam authenticam eiuſdem tituli penes Secretarium Curiæ noſtræ relinquent.

TITVLVS IX.

De Sponſalibus & Matrimonio.

CAPVT I.

CVM ſponſalia de futuro à ſacro Concilio Tridentino ſint intacta, atq; ita relicta in terminis, & diſpoſitione iuris cōmunis, præterquam quòd per copulam carnalē non tranſ-

Sacra congregatio Conc Trid. ſuper cap. 1. Seſſ. 24. de reform. Matr.

tranſeant in matrimonium; certum eſt ea eſſe valida, & ſeruari debere, etiamſi coram Parocho & teſtibus contracta non fuerint: & cùm multi perperàm aliter ſentiant, error ille à Concionatoribus & Confeſſarijs data oportunitate ijs eximatur.

CAPVT II.

EBRIIS ſponſalia contrahere volentibus Parochus operam ſuam non impendat.

CAPVT III.

Cap 1. ſeſſ. 24. De refor. matr.

DECRETVM Sacri Concilij Tridentini irritans & annullans matrimonia, quæ aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus contrahuntur, in omnibus & ſingulis Eccleſijs parochialibus totius diœceſis iterùm publicetur ante proximum feſtum Natiuitatis Domini: & Archipresbyteri in prima viſitatione poſt idem feſtum ſeriò vbique inquirant num id præſtitum ſit, & in actis viſitationis ſingularum Eccleſiarum expreſsè annotent an huic mandato ſatisfactum ſit, néc ne; vt inobedientes, ſi qui fuerint, debitè puniri, eorumque defectum ſuppleri curemus.

Ca-

CAPVT IV.

SÆPE declaratum eſt, & ex abundanti rurſus declaramus, irritum planè ac nullum eſſe matrimonium, quod contrahitur coram Parocho quidem loci, ſed neutrius contrahentium.

CAPVT V.

GRAVE eſt peccatum, quòd poſt contracta ſponſalia deſponſi carnaliter ſe cognoſcant, antequam matrimonium per verba de præſenti coram Parocho & teſtibus contractum ſit. Ideoq; Parochi ſponſalia coram ſe contrahentes admoneant, vt ad periculum incontinentiæ, aliaque inconuenientia euitanda, intra ſex ſeptimanas poſt factas proclamationes, ſi canonicum impedimentum denuntiatum non fuerit, ad matrimonij ſolemnizationem procedant; vtque ante ſacerdotalem benedictionem, in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent. *D. c. 1. ſeſſ. 24. §. Præterea.*

CAPVT VI.

LAVDABILIS eſt huius noſtræ diœceſis conſuetudo, quòd matrimonia & in Eccleſia, quæ Sacramentorum proprius locus eſt, & inter Miſſarum ſolemnia contrahantur. Quare cùm Sacrũ Concilium Tridentinum eiuſmodi conſuetudines retineri *C. 1. §. poſtremo, v. Si qua, ſeſſ. 24. De reform. matr.*

tineri vehementer optet, præcipimus, ne quis abſque ſpeciali noſtra licentia ei contrauenire audeat.

CAPVT VII.

SI quando ſuper vna trium denuntiationum à nobis diſpenſetur, eo die, quo poſterior reliquarum duarum facta fuerit, matrimoniũ contrahi prohibemus. Idemque multò magis ſeruetur quando vnica tantùm denuntiatio facienda eſt, reliquis duabus ob cauſam à nobis remiſſis.

CAPVT VIII.

SI matrimonium contracturi in parochia, in qua eſt moderna eorum habitatio, breuem moram traxerint, ita vt ibidem non ſint ſatis noti; etſi ibidem matrimonio iungi poſſint, nihilominùs in parochia, in qua priùs habitarunt, vbi veriſimilius eſt fore vt impedimenta ſciantur, denuntiationes omnes fieri volumus.

Sacra congreg. Conc. Trid. ſuper d. cap. 1. § poſtremo.

CAPVT IX.

QVANDO aliter quàm coram proprio Parocho ſponſalia cõtracta ſunt, matrimonij denuntiationes non antè ab eo fiant, quàm ipſimet ſponſus & ſponſa id exigant, aut coràm aſſenſum præbeant. Qui quidem aſſenſus, ſi non eiuſdem parochiæ ſint, à proprio cuiuſque Parocho cogno-

cognoſci, atque alteri ab altero teſtimonij litteris ſignificari debet.

CAPVT X.

CVM ex longa coniugis abſentia non reſultet certitudo de eius obitu, & mors non præſumatur, ſed probanda ſit, (quilibet enim viuere præſumitur) ad ſecundas nuptias conuolare deſiderans matrimonio non iungatur, niſi habita prius legitima certitudine de morte prioris coniugis; etiamſi non ſeptem tantùm, vt multis perſuaſum eſt, ſed etiam viginti, triginta, & plures annos continuos eum abfuiſſe conſtiterit.

CAPVT XI.

QVI quarto ſimul & quinto conſanguinitatis vel affinitatis gradu iuncti ſunt, cùm citra diſpenſationis beneficium liberè ac licitè matrimonium contrahere poſſint, nemo illis deſuper difficultatem moueat.

CAPVT XII.

ETSI deſponſi, doctrinæ Chriſtianæ rudimenta planè ignorantes, ob id à matrimonio contrahendo arceri nō debeant; Parochi tamen ſuauiter, & bono modo, quando contrahentes non inſtabunt, breui tempore eos retinere poterunt, donec doctrinam

ctrinam neceſſariam addiſcant: & ita fieri expedit.

TITVLVS X.

De Doctrina & Prædicatione Verbi DEI.

CAPVT I.

CONCIONATOR quilibet ita mores ſuos componat, & in omnibus ſe gerat, vt ab ijs quæ verbo docet, vita nõ diſcrepet; & quod ædificat prædicatione, conuerſatione non deſtruat. Nec oſtentandæ doctrinæ vel eloquentiæ cauſa, difficiles & inanes quæſtiones moueat, vnde ſui ipſius potiùs quàm IESV CHRISTI prædicator eſſe videatur. Sed præcipuè in Euangelij, Symboli, Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, Decem præceptorum, Sacramentorum Eccleſiæ, Miſſę & ſacrorum rituum dilucida explicatione verſetur.

CAPVT II.

IN reprehendendis quoque vitijs ita ſe gerat, vt pietatis & charitatis ſtudio eum adductum, non hominum ſed peccatorum odio id facere omnes intelligant.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

QVOD in Concilio Prouinciali ſtatutum eſt, vt Paſtores neminem omnino in Eccleſijs ſuis concionari permittant, qui de licentia Ordinarij in ſcriptis nō præ-docuerit; de licentia Ordinarij non perſonæ, ſed loci, intelligi debet. Itaque in hac noſtra diœceſi noſtra licentia requiritur.

CAPVT IV.

CVRATORIBVS animarum ſeu Parochis per ſe munus Prædicatoris obire volentibus, ſciant ceteri omnes ſe illis cedere debere.

Sacra congreg. Conc. Trid. ſuper cap. 4 Seſſ. 24. De reform.

CAPVT V.

QVIA vnuſquiſque iuxta Concilium Tridentinum parochiæ ſuæ intereſſe tenetur ad audiendum verbum Dei, vbi commodè id fieri poteſt; quo tēpore illud in Eccleſia parochiali annuntiatur, nemo in capellis, quæ parochiæ finibus continentur, concionari, aut Miſſam celebrare præſumat, ſub pœna arbitraria. Et ſimiliter nemo in eadem Eccleſia ſub concione Miſſam etiam priuatam celebret.

Seſſ. 24. cap. 4. De reform.

CAPVT VI.

NEMO extraneus fidelium eleemoſynis è ſuggeſtu commendetur ſine conſenſu noſtro in ſcriptis.

C TITV-

TITVLVS XI.

De Officio diuino, Cærimonijs, Locis ſacris, & exequijs Defunctorum.

CAPVT I.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. in decret. De obſeru. & euit. in celebr. Miſſa.

EXCOMMVNICATI ob notoriam percuſſionem Clerici, vel ob quamcumque aliam cauſam excommunicati denuntiati; item vſurarij publici, & quicumque alij publicè & notoriè criminoſi, ſacrificio Miſſæ intereſſe non permittantur.

CAPVT II.

DVM ſacrificium Miſſæ peragitur, numquam candelæ ſebaceæ ſolæ in altari accendantur; ſed cum ijs, vel ſine ijs, ſemper duæ candelæ cereæ decentis formæ ardeant.

CAPVT III.

PVRIFICATORIIS calicum nemo ad emungendum nares, ſudoréſve abſtergendum, abutatur.

CAPVT IV.

AD ſatisfaciendum ſtatuto Concilij Prouincialis, quo ordinatur, vt Ordinarij in ſingulis Decanatibus ſuæ diœceſeos

Digitized by Google

ſeos aliquos deputent cærimoniarum & rituum Eccleſiæ Romanæ peritos, qui primitias celebraturos ijſdem cærimonijs ac ritibus debitè inſtruant; volumus proxima congregatione Paſtorum duos eiuſmodi à ſingulis Archipresbyteris noſtro nomine deſignari; & quando aliquem eorum è viuis excedere aut locum mutare continget, mox alium eius loco conſtitui.

CAPVT V.

IRREVERENTIAM omnem circa res ſacras cauere cupientes, mandamus, vt Sanctiſſimum EVCHARISTIÆ Sacramentum, Sanctorúmve reliquiæ, aut ſtatuæ, non à currui vel equis inſidentibus, ſed à peditibus tantùm in Proceſſionibus circumferantur.

CAPVT VI.

QVIA in nouiſſimo Concilio Prouinciali ordinatum eſt, vt in omnibus pagis totius Prouinciæ Miſſa parochialis Dominicis & Feſtis diebus certa & eadem hora ſemper fiat; eâ determinantes quoad hanc noſtram diœceſim, mandamus, vt à feſto Paſchæ vſq; ad feſtum S. Remigij, ſeu Kalendas Octobris, Miſſa parochialis celebretur hora octaua, vel circiter; à Kalendis verò Octobris vſq; ad Paſcha, hora nona.

CAPVT VII.

CELEBRANS, eique miniſtrantes, pileum, biretum, chirothecas, claues, ceteraque huiuſmodi in altari non ponant.

CAPVT VIII.

ALTARIVM portatilium vſus, ex neceſſitate hactenus permiſſus, in conſuetudinem trahi non debet: quapropter mandamus omnibus, quorum intereſt, vt altaria ſua profana, vel profanata, mox conſecrari curent; à feſto S. Remigij proximè venturo, altarium portatiliū vſum omnibus his, quibus ex rationabili cauſa intereà eum non permiſerimus, prohibentes.

CAPVT IX.

CVM propter inæqualitatem præbendarum, aliaſque ob cauſas, vna generalis regula ſtatui nequeat quoad executionem decreti Concilij Tridentini ac ſtatuti Concilij Prouincialis, de tertia parte fructuum & quorumcumq; prouentuum in diſtributiones conuertenda; ſingula Capitula modum & rationem id debitè efficiendi ſibi concipiant, & ante finem huius anni nobis exhibeant.

CAPVT X.

VT iuxta præſcriptum vtriuſque Concilij Prouincialis diſtributionibus priuandi

uandi ſunt, qui ante *Gloria Patri* primi Pſalmi cuiuſque Officij vſque ad finem eidem Officio actualiter non interſunt: ita quoque ijs priuari volumus, qui in Miſſis votiuis, & anniuerſariorum, quæ ex fundatione ſine Commendationibus canuntur, ante primam Collectam; in Vigilijs verò ante finem ſecundi Pſalmi Veſperarum, & in Commendationibus ante initium Pſalmi *In exitu*, vſq; ad finem non interſunt.

CAPVT XI.

PASTORES, eorumq; vicarij, tamquam præſentes in choro habeantur, dum ſunt in actu adminiſtrandi Sacramenta, vel alia exercendi, quæ ſpectant ad curam animarum illi Eccleſiæ imminentem. *Super c. 12. ſeſſ. 14. De reform.*

CAPVT XII.

QVI ſolùm mētaliter Horas dicit, obligationi non ſatisfacere declaramus.

CAPVT XIII.

AERIS tempeſtate exorta campanæ pulſentur, ſicut Eccleſiaſticæ conſuetudinis eſt; tum ad tempeſtatem illam vi diuina, quæ ex ſolemni prece ſacraq; benedictione illis ineſt, depellendam; tum vt fideles ad orandum, & Dei miſericordiam pijs orationibus implorandam, excitentur.

CAPVT XIV.

TOLERARI non debet, quòd Eccleſiæ ſic exponantur ſupellectilibus profanis, vt potiùs domus laicæ, quàm Dei baſilicæ videantur. Quare quod ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi piè ſancitum eſt, deinceps exactè obſeruari volumus; ne ſcilicet huiuſmodi ſupellectilia in Eccleſijs admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates vrgentes, ad eas oporteat habere refugium: quibus etiam caſibus, neceſſitate ceſſante, res in loca priſtina reportentur.

Cap. 2. Extrau. De cuſtod. Euchariſtia.

CAPVT XV.

ARBORES ab Eccleſijs quibuſuis ita remotæ ſint, ne aut per radicum dilatationem parietum fundamentis, aut per ramorum diffuſionem tectis aut feneſtris officiant: & vbi officiunt, excidantur. Hederæ quoque Eccleſiarum parietibus adhærentes prorſus euellantur.

CAPVT XVI.

COEMETERIA muris, foſſis, aut ſepibus ita concludantur, vt equis, vaccis, porcis, alijſque ſimilibus animalibus nullus pateat acceſſus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XVII.

NEC ſine graui iniuria loci ſacri tolerari poteſt, vt in cœmeterijs tripudietur; ideoque id diſtrictè prohibemus.

CAPVT XVIII.

LIBA quoque, placentæ, & ſimilia in cœmeterijs non vendantur: neque ſtrues lignorum in ijs fiant, lignáve congerantur: & generaliter nihil in ijs permittatur, quod loci religioni ac ſanctitati repugnet.

CAPVT XIX.

VSVRARIVM manifeſtum, etſi per Teſtamentum vſuras reſtitui mandauerit, nemo tamen ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittat, niſi actualiter etiam, prout facultates tulerint, vſuras reſtituerit, vel de ijs reſtituendis idoneè cauerit, iuxta conſtitutionem Gregorij X. ſub pœna Canonum. *C. Quamquam, De vſuris, in 6.*

CAPVT XX.

IRRATIONABILIS & irreligioſa eſt conſuetudo aliquorum locorum, qua exequiæ occiſorum differuntur, vſque dum inter homicidam & defuncti heredes ſit tranſactum; atque ideò eam abrogantes, cùm primùm fieri poterit, exequias ſic defunctis perſolui mandamus.

TITVLVS XII.

De Feſtis & Ieiunijs.

Capvt I.

Edicto Principum pro obſeru. feſtorum.

DIEBVS Dominicis aut feſtiuis tempore cõcionis, ſummi Sacri, vel Veſperarum in tabernis potitantes, aut publicis luſibus vel tripudijs vacantes, denuntientur, pro qualitate perſonarũ & modo ſcandali puniẽdi.

Capvt II.

SANCTVS RVMOLDVS Archiepiſcopus & Martyr, cuius ſolemne feſtum Kalendis Iulij in ciuitate Mechlinienſi quotannis celebratur, extra eam tertio die Iulij per omnes Eccleſias totius diœceſis, Officio duplici honorari meritò debet, atque ita fieri mandamus.

Capvt III.

FESTVM Cathedræ S. PETRI, vel feſtum S. MATTHIÆ in diem Cinerum incidens, in diem ſequentem tam in populo quàm in Eccleſijs celebrandũ transferatur.

Capvt IV.

A Die Cinerum vſque ad Vigiliam Paſchæ incluſiuè, non modò omnibus diebus

diebus etiam Dominicis à carnibus & ouis abſtinendum eſt, omnibuſque diebus præter Dominicos ieiunandum, etiam feſtis, ac die Cœnæ Domini; verùm etiam quatuor vltimis diebus abſtinendum eſt à lacticinijs. Ceteris verò diebus lacticiniorum vſus ita permittitur, vt ea gratia vti volẽtes ſinguli legant ſemel Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica, & offerant vnum ſtuferum in ciſta, quæ in qualibet Eccleſia parochiali ad id deſtinata eſt, applicandum pro tertia parte eidem Eccleſiæ, & pro reliquis duabus tertijs Seminario noſtro. Qui verò iſtam erogationem facere non volent, legent quotidie ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam. *Can. 6. & 7. diſt. 3. De conſec.*

CAPVT V.

CAVEANT quantum poterunt, qui ob legitimam cauſam à ieiunio excuſantur, quibúſve ouorum vel etiam carnium vſus permittitur, ne alios ſuo exemplo ad violandum ieiunium, vetitóſve cibos comedendum, prouocent.

CAPVT VI.

TOTIS tribus Rogationum diebus feſtum Aſcenſionis Domini immediatè præcedentibus abſtineatur à carnibus,

ijſdemque vſque ad prandium ſaltem ieiunetur.

Capvt VII.

Cap. vlt. De obſeru. ieiun.

FESTO Natiuitatis Domini in feriam ſextam incidente carnes comedere omnibus licitum eſt, qui voto vel profeſſione non impediuntur.

TITVLVS XIII.

De Sanctorum Reliquijs, & Imaginibus.

Capvt I.

Seſſ. 35. De inuoc. venerat. & reliq. Sanctorum.

ETSI antiquæ Sanctorum Reliquiæ haberi debent in veneratione, in qua hactenus habitæ fuerunt; nouæ tamẽ publicæ venerationi non exponantur, niſi priùs à nobis iuxta præſcriptum Sacri Concilij Tridentini recognitæ & approbatæ fuerint.

Capvt II.

INTER nouas Reliquias computandæ, ſeu iure ipſarum cenſendæ ſunt, quæ antiquorum quidem Sanctorum eſſe dicuntur, at iam recèns ad eas Eccleſias, in quibus modò ſunt, delatæ fuerunt.

Capvt III.

DOCEATVR ſubinde rudis populus, imaginibus Chriſti & Sanctorum cultum

cultum & honorem non exhiberi propter ipſarum materiam, elegantiam, externum ornatum, vel aliud quid ſimile; ſed tantùm propter eos, quos nobis repræſentant, atque ita nos in ſignis prototypa venerari, vt in ipſis ſignis ſeu imaginibus neque vllam fiduciam collocemus, neque diuinitatem aliquam ineſſe credamus.

CAPVT IV.

SI quæ ſacræ tabulæ imaginéſve nimia vetuſtate, carie, ſitu, aut ſordibus pænè deletæ tam indecenti aſpectu ſint, vt contemptum potiùs quàm venerationem excitent; eæ piè religioſeque reſtaurentur ab ijs, quorum intereſt; aut ſi id fieri nequeat, omnino deleantur.

TITVLVS XIV.

De Superſtitione & Exorciſmis.

CAPVT I.

ABOMINANDA eſt eorum vanitas & ſuperſtitio, qui certo numero & præſcripta forma Miſſarum vel precum affirmant certas deſignataſq́; animas è Purgatorio ſemper liberari; quive certò pollicentur ſine pœni-

pœnitentia & Sacramentis ex hac vita non migraturos eos, qui hunc vel illum ex Sanctis coluerint.

Capvt II.

LICENTIAM exorcizandi à nobis adeptus, pura & munda conſcientia, magnaque humilitate ac fide ad id muneris obeundum accedat, in eiuſdemque functione grauiter, piè ac religiosè ſe gerat, nec verba vel ritus Paſtoralis noſtri excedat.

Capvt III.

MVLIERI energumenæ exorciſmum adhibiturus, id præſtet duabus ſaltem perſonis probatæ vitæ præſentibus; ijſque, ſi fieri poſſit, energumenæ conſanguineis, aut affinibus.

TITVLVS XV.

De Archiepiſcopali Sede vacante.

Capvt I.

CAPITVLVM Metropoliticum Sede vacante infra octo dies non plures Vicarios, ſed vnum tantùm Vicarium conſtituet, vel existentē confirmabit, iuxta præſcriptum Sacri Concilij Tridentini. Et is ſemel à Capi-

Seſſ. 24. cap. 16. De reform. & Sacra congreg. ibidē.

Digitized by Google

Capitulo electus, vel confirmatus, poſteà ſine iuſta & rationabili cauſa remoueri non poterit.

CAPVT II.

SI fortè in conſtitutione Vicarij diſcordiam inter eligentes oriri contingeret, & plures ad hoc officium eligerentur; in eiuſmodi controuerſia magis idoneus, & habens qualitates Concilij, remanere debebit ceteris remotis, vt à Sacra Congregatione declaratum eſt. In dubio verò is electus cenſeatur, qui à Capituli maiori parte delectus fuerit.

CAPVT III.

MOx quoque à vacatione Sedis Oeconomus vnus vel plures fideles ac diligentes à Capitulo decernantur; ijque ſemel electi, à Capitulo non mutentur ſine iuſta & rationabili cauſa. Idemque ſeruetur quoad ceteros Officiarios.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 16. De reform.

CAPVT IV.

VICARIO autem, aliiſve Officiarijs abſentibus, ſubſtitutorum electio non ad Capitulum, ſed ad Vicarium ſpectabit.

CAPVT V.

MEMINERIT eiuſmodi Vicarius, non ſolùm Capitulo ſub pœna interdicti prohibitum eſſe infra annum à die vacatio-

Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 10. & ſeſſ. 23. cap. 10. De reform.

Digitized by Google

cationis ipſius Sedis, litteras dimiſſorias ad Ordines etiam minores alicui, qui beneficij Eccleſiaſtici recepti ſeu recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere, at ſibi quoque id non licere; & ſi eas conceſſerit, ſe ab officio & beneficio per annum ipſo iure ſuſpenſum fore.

CAPVT VI.

Cap. 2. Ne Sede vacante.

BENEFICIA quoque ad collationem Archiepiſcopi ſpectantia, per Capitulum vel Vicarium Sede vacante non conferantur: deſeruitores tamen & adminiſtratores eiuſmodi beneficiorum vacantium licitè conſtituentur: & præſentati à patronis, ſi idonei iudicati fuerint, per Archidiaconum inſtitui poterunt.

CAPVT VII.

Cap. vnico. Ne Sede vacante, in 6.

DENIQVE ſi quam ex nouem præbendis affectis Sede vacante vacare contigerit; reliqui eiuſmodi præbendas obtinentes, liberè illam, debitè tamen qualificato, conferre poterunt, Sedis vacatione non obſtante.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS XVI.

De Archipresbyteris, Paſtoribus & Custodibus, eorumq́ꝫ officijs.

CAPVT I.

QVICVMQVE deinceps de Paſtoratu prouidebitur, is antequam in poſſeſſionem ab Archipresbytero inducatur, non modò fidei profeſſionem, verùm etiam iuramentum à Concilio Prouinciali hoc titulo pręſcriptum, coram eodem Archipresbytero & duobus teſtibus præſtabit; & vtrumque ab eo præſtitum eſſe, Archipresbyter in regiſtro ſuo annotabit, cum expreſſione diei & teſtium.

CAPVT II.

SIMILITER adepturus deinceps quodcumque beneficium non curatum, præſtabit iuramentum coram Archipresbytero, & duobus teſtibus, antequam poſſeſſio ei detur, quòd ſpecificationē omnium fructuum eiuſdem ſui beneficij cum debita deſignatione hypothecarū, limitū, & terminorum, intra ſex menſes Archipresbytero tradet; & dies præſtiti iuramenti,

Digitized by Google

ti, ac nomina teſtium, regiſtro Archipresbyteri exactè inſcribētur. Et ſi quis Paſtorum, aliorúmve Beneficiatorũ, intra tempus iuratum debitam ſpecificationem omniũ fructuum non tradiderit, mox denuntietur citandus, & puniendus de periurio.

CAPVT III.

PORRÒ quæcumque & qualiacumque beneficia curata vel non curata inpræſentiarum obtinentes, ſi plenam & perfectam deſignationem omnium fructuum intra decem annos vltimò elapſos Archipresbytero ſuo non tradiderint; vt intra ſex menſes proximè venturos id præſtent, rogamus & hortamur in Domino: & nihilominùs in virtute ſanctę obedientiæ, ac ſub pœna arbitraria pro modo culpæ & negligentiæ, omnibus & ſingulis mandamus.

CAPVT IV.

PASTOR quilibet de canonica portione ſummariè & de plano ſibi prouideri deſiderans, ante omnia exhibeat nobis, Vicario aut Officiali noſtro, libellum ſupplicem, in quo contineatur, cuíve annexa ſit plena, eaque particularis, & proprio iuramento firmata declaratio bonorum, quę ratione Eccleſiæ ſuæ parochialis ipſi competunt. Neq; certi tantùm fructus & emolumen-

Digitized by Google

lumenta exprimantur, ſed incerta quoque & accidentalia trium aut quatuor communium annorum vltimò præteritorum.

CAPVT V.

ARCHIPRESBYTERI Eccleſias decanatus ſui viſitaturi, tempus viſitationi deſignatum Paſtori tempeſtiuè præſignificent, caueantque ne occaſione viſitationum comeſſationes vllæ fiant.

CAPVT VI.

TEMPESTIVE quoque ſinguli viſitationes ſuas abſoluent, & acta earumdem nitidè deſcripta, & à ſe ſubſignata, quotannis ante Kalendas Iulij ad nos, vel Vicarium noſtrum generalem, tranſmittent.

CAPVT VII.

QVOTANNIS etiam prima feria ſecunda Auguſti, & ſi Kalendæ Auguſti in feriam ſecundam inciderint, ipſis Kalendis aderunt omnes Mechliniæ; & altero die manè hora octaua in ſacello noſtro domeſtico ſe ſiſtent gratiam Spiritus ſancti nobiſcum inuocaturi, ac deinde audituri, quæ poſt mutuam collationem, maturamque deliberationem, pro vtilitate animarum ſtatuenda & ordinanda duxerimus.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

PRÆTEREA ſinguli vndecim Archipreſbyterorum celebrabunt annuatũ Capitulum Paſtorum ſui diſtrictus ordine & tempore hîc deſignato: Primum omnium celebrabitur Mechliniæ, ſecũdum Dieſtemij; tertium Leeuvvis S. Leonardi; quartum Thenis; quintum Louanij; ſextum Bruxellæ; ſeptimũ in decanatu Leeuvvenſi S. Petri; octauum Gerardimonti; nonum in decanatu Rothnacenſi; decimum in decanatu Oiſterzelenſi; vndecimum Aloſti. Et primum quidem, ſcilicet Mechlinienſe, celebrabitur prima feria quarta poſt feſtum Aſſumptionis DEIPARÆ VIRGINIS; feria ſecunda immediatè ſequenti celebrabitur Capitulum Dieſtenſe: huic feria quarta proxima ſuccedet Capitulum Leeuvvenſe S. Leonardi; & ſic deinceps, ordine prædicto, ſingulis ferijs ſecundis & quartis. Quæ feriæ ſi per feſtũ aliquod aut ieiunium impediantur, celebrabitur Capitulum poſtero die non impedito; alioquin proxima feria ſecunda vel quarta.

CAPVT IX.

PORRÒ hæc ipſa Capitula ſic celebrentur, vt ea non ad comeſſandum, ſed ad tractandum de rebus ſerijs indicta eſſe omnibus

nibus innoteſcat. Proinde in illis initium rerum agendarum ſumatur ab inuocatione Spiritus ſancti, quo dirigente de rebus Eccleſiæ conferatur. Prandium verò non fiat, niſi frugale & moderatum, vt nemo ſumptibus vel potu grauetur; nec vnquam illud in taberna vel diuerſorio inſtituatur. Extranei quoq;, per quos tractatio de rebus Eccleſiæ poſſit impediri, ab eo excludātur.

CAPVT X.

QVANDOCVMQVE aliquem Beneficiatum ex hac vita migrare continget; Archipreſbyter cui is ſuberat, mox in domo mortuaria de litteris, manualibus, & munimentis Eccleſiā, menſam pauperum, aut beneficia concernentibus diligenter inquirat, eaque omnia ad ſe recipiat; curaturus vt ea quæ ad fabricam, & menſam pauperum ſpectabunt, ceteris earum munimētis mox apponantur; litteras verò originales beneficia tangentes, ceteraque huiuſmodi, nobis tranſmiſſurus, exceptis tamen manualibus, quæ ſucceſſori defuncti in beneficio tradentur.

CAPVT XI.

OMNINO caueant Parochi, ne aliquem Sacerdotem in cura animarum ſuſtinenda gerendáve ſibi adiungant, qui ſe

à nobis approbatum eſſe, in ſcriptis non docuerit.

Capvt xii.

Si quas inimicitias rixáſve aliquas inter ſubditos ſuos, præſertim coniuges, intercedere Parochus cognouerit; omni ratione ac ſtudio, ne diuturniores fiant, componere ac ſedare ſtudeat.

Capvt xiii.

Pastores oblationes ſuas nullo modo alteri elocent; & quotannis ante meſſem è ſuggeſtu populo publicent tenorem decreti Concilij Tridentini de ſoluendis decimis, quod habetur cap. 12. ſeſſ. 25. De reform.

TITVLVS XVII.

De vita & honeſtate Clericorum.

Capvt i.

Illvd vnuſquiſque Clericus ſæpè repetat, ſe non ad inertiam & ignauiam, ſed ad ſpiritualis & Eccleſiaſticæ militiæ labores vocatum eſſe. Sciat propterea id in officio ſuo poſitum eſſe, vt cùm vel in officijs diuinis obeundis vel in frequentandis Eccleſiis quod

quod debet tempus conſumpſerit, ſiquid ſibi reliquum eſt, id omne non in rerum ſæcularium colloquijs, profaniſque actionibus, ſed in Diuinarum litterarum ſtudijs, & in cæleſtium rerum contemplationibus, & ſanctis pijſque officijs traducat.

CAPVT II.

QVILIBET Clerici beneficiati, quamdiu nullo Ordine ſacro inſigniti fuerint, ſaltem in quatuor maioribus feſtiuitatibus anni ſacram Euchariſtiam reuerenter ſumant; ſalua conſuetudine earum Eccleſiarum, vbi frequentior communio eſſe ſolet. Sciantque Diaconi & Subdiaconi maximè decere, vt ſingulis diebus Dominicis & ſolemnibus altari miniſtrantes ſacram Communionem percipiant.

Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 13. De reform.

CAPVT III.

SACERDOTES verò, ne tanti tamque precioſi talenti ſibi fruſtrà crediti ſeueriſſimo Iudici magno ſuo malo rationem ſint reddituri, nullos dies Dominicos feſtáve ſolemnia, niſi legitima grauique cauſa impediti, abire ſinant, quibus ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium Deo pro ſuis ac totius populi peccatis non offerant.

Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. De reform.

Digitized by Google

CAPVT IV.

QVIDQVID in Sacra Tridentina Synodo, & vltimo Cōcilio Prouinciali, de habitu Clericorum ſtatutum eſt; etiam à Clericis, qui in Vniuerſitatibus agunt, ſeruari meritò debet. Atque ideò omnes & ſingulos eorum, vt exactè id præſtent, ſeriò monemus, & mandamus.

CAPVT V.

CLERICVS coram Iudice laico teſtimonium dicturus, vel quodcumque iuramentum præſtiturus (quod etiam ſine noſtra, vel alterius Eccleſiaſtici legitimi Superioris licentia ei non licet) in manibus perſonæ Eccleſiaſticæ iuramentum præſtet.

Cap. Quãquam & ibi Gloſſa penult. 14. quæſt. 2.

CAPVT VI.

VT in hac hominum malignitate omnis Cleri ſugillandi occaſio adimatur, & ſcandalis tempeſtiuè occurratur; non tantùm incontinentiam, ſed omnem quoque eius ſpeciem vnuſquiſque caueat. Ideoque ſiquis ancillam habeat, vel cum alia muliere ſic conuerſetur, vt obloquium inde vel ſcandalum oriatur; ad monitionem noſtram, vel etiam Capituli, ſub quo quiſque degit, hanc ancillam abdicare, ſeu ab huius mulieris familiaritate ſe ſubtrahere mox teneatur: quod niſi fecerit, pri-

mùm

Digitized by Google

mùm vna libra groſſorum multetur, ad opus Seminarij Archiepiſcopalis; & pertinaciùs perſeuerans, arbitrariam eamque grauem pœnam ſubeat.

CAPVT VII.

Ex cellis vinarijs ad Capitulorum aut Cleri adminiſtrationem ſpectantibus lucra non quærantur. Et ſi quando ex vinorũ venditione, omni expenſa deducta, emolumenti aliquid excreſcere contigerit, in pios tantùm vſus id conuertatur.

CAPVT VIII.

CLERICVS Sacris initiatus, aut beneficium Eccleſiaſticum obtinens, coram Iudice ſæculari Aduocati vel Procuratoris officio non fungatur; cauſaſque agat, niſi ſuas, vel Eccleſiæ ſuæ; vel, ſi neceſſitas immineat, propinquorum, aut miſerabilium perſonarum.

Cap. 1. & 3. Depoſtulando.

CAPVT IX.

ARTEM quoque medendi non exerceat, neque munus tabellionatus, niſi in caſibus à iure permiſſis. Neque interſit executioni ſententiæ capitalis, niſi officij ſpiritualis cauſa.

Cap. Sicut. Ne Clerici vel Monachi.

CAPVT X.

AB omni etiam venatione, quæ cum armis, aut non ſine ſtrepitu fit, Cleri-

Cap. 1. & 2. De Clerico venatore.

 cus

cus abſtineat; nec canes ad venandum, accipitres, aut falcones alat.

CAPVT XI.

Cap. Cùm ſecundùm. x De præbendis.

VT altari ſeruientes de altari viuere debent: ita quoque omnibus & ſingulis beneficia Eccleſiaſtica tam ſæcularia quàm regularia obtinentibus ſæpè recogitandum eſt, quòd quæcumque vltra honeſtam ſuſtentationem ipſis ſuperſunt, non ad ditandos amicos, vel alios profanos vſus, expendi poſſint; ſed pauperibus diſtribui, aut in alias pias cauſas erogari debeant.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 1. De reform.

CAPVT XII.

Can. Presbyteri. diſtinct. 34.

SACERDOTES, Diaconi & Subdiaconi, (qui nuptiarum euitare conuiuia antiquo Canonum iure tenebantur) dum ijs alijſque conuiuijs interſunt, ita ſe gerant, vt ſui ordinis ſint memores, & exemplo ædificent; enixeque dent operam, præſertim Paſtores, & qui auctoritate aliqua pollent, ne ſeſſio ſit nimis longa, vel in potu excedatur, aut inhoneſti aliquid fiat, aut dicatur.

CAPVT XIII.

IN primitiarum celebritate, à ſaltationibus, & omni alia inſolentia abſtineatur, ſub pœna arbitraria.

CA-

CAPVT XIV.

CVM pluralitas miſſuum non modò longiorem faciat ſeſſionem, vnde temporis, quo nihil pretioſius eſt, magna prouenit iactura, verùm etiam multum pecuniarum vanè abſumat, non abſque iniuria vel detrimento pauperum, luxuſque ac gulæ magnum ſit irritamentum, & multorum ſæpè cauſa exceſſuum; hortamur & rogamus omnes in Domino, præſertim Clericos, & quoſcumque viros ordinis Eccleſiaſtici, qui ceteris & temperantiæ & modeſtiæ exemplo prælucere meritò debent, vt amicitiæ, honeſtatis, vel alia quacumque ex cauſa quodcumque conuiuium inſtituturi, vnicum tantùm miſſum exhibeant præter bellaria.

TITVLVS XVIII.

De Beneficijs & Officijs Eccleſiaſticis, ac Beneficiatorum reſidentia.

CAPVT I.

ID meritò ſpectare debet quicumque beneficia collaturus eſt, vt ea, cùm ſint patrimonium CHRISTI, non carni aut ſanguini vel amicorum precibus dentur, vllave

alia quàm Eccleſiæ vtilitatis habita ratione conferantur. Iuſtum quippe ac rationi conſentaneum eſt, vt non perſonæ de beneficijs, ſed vt beneficijs de idoneis miniſtris prouideatur.

CAPVT II.

PAROCHI iure diuino ad reſidendum obligantur; & non vlla conſuetudine, non paucitate ouium, non defectu domus propriæ eos à reſidentia excuſari declaramus: mandantes omnibus & ſingulis necdum reſidentibus, vt ſine mora ad reſidentiam ſe conferant ſub pœnis Concilij Tridentini, & aliorum ſacrorum Canonum.

Sacra Cõgregatio Conc. Trid. ſuper. cap. 1. Seſſ 23. De reform.

CAPVT III.

CVM diſtributiones quotidianæ cuiuſlibet capellaniæ arguant reſidentiam in choro, eiuſmodi capellania incompatibilis cum beneficijs reſidentiam requirentibus haberi meritò debet, vt etiam à Sacra Congregatione declaratum eſt.

Super. c. 17. ſeſſ. 24. De reform.

CAPVT IV.

MEMINERINT qui in Eccleſia noſtra Metropolitana præbendas affectas obtinent, ſe ad reſidendum per decẽ menſes quotannis ex bulla erectionis Archiepiſcopatus teneri. Sciantque ceteri in eadem Eccleſia aut Eccleſijs collegiatis dignitates,

gnitates, canonicatus, præbendas, aut portiones obtinentes, ſibi non licere vigore cuiuſlibet ſtatuti aut conſuetudinis, vltra tres menſes ab iiſdem Eccleſijs quolibet anno abeſſe. *Conc. Trid. ſeſſ. 24 cap. 12. De reform.*

CAPVT V.

QVICVMQVE eorum vni ſaltem trium maiorum Officiorum, ſcilicet Matutinis cum Laudibus, ſummo Sacro, aut Veſperis, & minoribus Horis eidem Officio adiunctis, ante *Gloria Patri* primi Pſalmi, vſque ad finem non interfuerint; illis diebus, quibus id euenerit, non reſediſſe cenſendi ſunt, etſi à loco beneficij non abfuerint: ſalua etiam obligatione ſtrictioris reſidentiæ, vbicumque ea eſt.

CAPVT VI.

VBICVMQVE ob vniones capellaniarum; quas vocant animarum, cum Eccleſiis parochialibus olim factas, diebus Dominicis ac feſtiuis populus Sacro matutinali deſtituitur; ſi vnionibus iſtis diſſolutis, Sacrum matutinale populo reſtitui poſſit, intereſſe habentes id nobis debitè exponant, vt cauſa cognita vniones illas reſcindere, & alia ratione Paſtoribus de competentia prouidere poſſimus.

TITV-

TITVLVS XIX.

De Scholis.

Capvt I.

VT Scholæ Dominicales faciliorem progreſſum habeant, optamus vt Sodalitates Doctrinæ Chriſtianæ in omnibus vrbibus & pagis celebrioribus erigãtur, noſtramq; auctoritatem & operam ad id offerimus.

Capvt II.

ARCHIPRESBYTERI Scholas, quæ Scholaſticis Capitulorum ſubiectæ non ſunt, bis quotannis viſitent: ſemel ſcilicet dum Eccleſiarum parochialium viſitationem inſtituunt; altero verò ſemeſtri, ſi per ſe commodè non poſſint, per Paſtorem aliquem ſui Decanatus, vel quemcumque alium, quem idoneum iudicauerint, id præſtent.

Capvt III.

PROBANDA ſummoperè eſt eorum pietas & induſtria, qui per erectiones Sodalitatum Beatæ MARIÆ VIRGINIS, aliiſve ſuauibus medijs, diſcipulos ſuos ad ſæpè confitendum communicandumque indu-

Digitized by Google

inducunt; necnon eorum, qui cùm Scholas linguæ vernaculæ tantùm, & quidem ruri aperiant, eam tamen diſcipulorum curam gerunt, vt ſub feſtum Paſchatis & Natiuitatis Domini vel ipſimet eos ad confeſſionem ducant, vel de facta tunc confeſſione à ſingulis teſtimonium Confeſſarij exigant. Vtque omnes vbique ita faciant, ſimulque aduigilent, vt quicumque diſcipulorum annos diſcretionis habent, ſaltem in Paſchate communicent, hortamur & rogamus in Domino.

TITVLVS XX.

De Seminario.

CAPVT I.

CVM quilibet Epiſcopus per ſacrum Concilium Tridentinum duos Canonicos eligere iubeatur, quorum conſilio in conſtituendis regulis, electione puerorum ſingulorum introducendorũ, diſcipulorum expulſione, Magiſtris conſtituendis, viſitatione, ac ſimilibus, ſemper vtatur; ad decreto illi ſatisfaciendum elegimus, & elegiſſe nos declaramus, *D. Henricum Franciſcum*

Seſſ. 23. cap. 18. De reform.

ciſcum vander Burch I. V. Licentiatum, Decanum Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, & Vicarium noſtrum generalem; & D. ac M. *Petrum vanden VViele* S. Theologiæ Licentiatum, dictæ Eccleſiæ noſtræ Archidiaconum.

CAPVT II.

SIMILITER cùm ex quatuor illis, quorum conſilio in tota temporali adminiſtratione, beneficiorum vnionibus, ceteriſque huiuſmodi vtamur, duo à nobis ſint eligendi, vnus ſcilicet è Capitulo, & alter è reliquo Clero ciuitatis; idipſum præſtantes eligimus *D. Iacobum Boonen* I. V. Licentiatum, Canonicum Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, & Officialem noſtrum, & *D. Petrum Iaecx*, S.T. Licentiatum, Plebanum dictæ Eccleſiæ noſtræ: declarantes inſuper, quoad duos reliquos, à Capitulo electum eſſe *D. Petrum Clerici*, Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis Canonicum; à Clero verò ciuitatis *D. Iacobum VVachtelaer* S. Theo. Licent. Paſtorem S. Catharinæ ciuitatis Mechlinienſis.

CAPVT III.

IN Seminarium ſumptu illius aſſumendi ſint omnes octodecim annorum.

CA-

CAPVT IV.

SINGVLI in ſua ad Seminarium aſſumptione declarabunt ſe habere animum ad ſtatum Eccleſiaſticum; & inſuper promittent, ſe, cùm idonei inuenientur, id muneris in Eccleſia Dei ſubituros, quod nos ipſis iniungemus, aut refuſuros expenſas, quibus Seminarium affecerint.

CAPVT V.

PROMITTENT etiam, ſi ad pinguiorem fortunam deuenerint, ſe in memoriam accepti beneficij Seminarium de bonis ſuis temporalibus adiuturos.

CAPVT VI.

SIMVLATQVE per ætatem, ſcientiam, & aliàs idonei fuerint, vt fiant Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes, ad eoſdem Ordines ſuſcipiendos ſe component, & iuſſi ſuſcipient, & in ſuſceptis diligenter miniſtrabunt.

CAPVT VII.

EX omnibus & ſingulis bonis Eccleſiaſticis, quæ ſecundùm ſacrum Conc. Trid. ad contributionẽ pro Seminario tenentur, circiter ſexageſimũ nummum annuatim contribuendũ cenſemus, & cõtribui mandamus; donec alia ratione ita Seminario prouiſum eſſe conſtiterit, vt prę-

ctam

ctam portionem in totum vel ex parte remittendam eſſe iudicauerimus.

TITVLVS XXI.

De elocatione & conſeruatione bonorum Eccleſiaſticorum.

CAPVT I.

DECIMÆ ad Capitula, Monaſteria, aliaque pia loca vel beneficia ſpectantes, vltra triennium non elocentur: prata quoque quando ſeparatim elocabuntur, non vltra ſexennium, & terræ arabiles ac domus non vltra nouem annos. Nec contractus eiuſmodi elocationum renouentur, niſi finito biennio prioris cõtractus quoad decimas, quadriennio quoad prata, & ſexennio quoad domus & terras arabiles: nec quis vmquam prædictos terminos excedat niſi obſeruatis ſolemnitatibus, quæ ad alienationem rei Eccleſiaſticæ de iure requiruntur, ſub pœna nullitatis ipſorum contractuum, iuxta edictum Sereniſſimorum Principum pro faciliori executione Synodi Prouincialis anno elapſo editum articulo vigeſimo, & aliàs arbitraria.

CA-

CAPVT II.

BONA Paſtoratuum & Eccleſiarum parochialium, necnon capellaniarum & ſacellorum, aliorumque piorum locorum, non niſi poſt tres proclamationes debitè factas publicè & plus offerenti elocentur, vel ſaltem non minoris quàm bona vicina eiuſdem naturæ & qualitatis elocari conſueuerunt; & vtrouis caſu idonea cautio accipiatur.

CAPVT III.

ELOCATIONES bonorum beneficialium à Beneficiatis initas non diutiùs durare declaramus, quàm pro illo anno in quo moritur, vel beneficium dimittit ipſe Beneficiatus contrahens; niſi à nobis, vel Capitulo, ſub cuius iuriſdictione ipſa beneficia exiſtunt, confirmatæ fuerint.

CAPVT IV.

SICVT nouiſſima Synodo Prouinciali mandatur, vt regiſtra bonorum quorumcumque Collegiorum Eccleſiaſticorum, beneficiorum, fabricarum, menſarum ſancti Spiritus, aliarumque piarum fundationum, à quindecim annis legitimè non renouata, intra annum proximũ vbique renouentur, cum debita deſignatione limitum & terminorum: ita quoque vbi

nulla bonorum regiſtra ſunt, aut imperfecta, recta adminiſtrandi ratio requirit, vt quàm citiſſimè ea fiant aut perficiantur; idq; non modò cum expreſſione quantitatis quoad terras arabiles, prata, ſiluas, hortos, viuaria, ceteraque huiuſmodi, & hypothecarum earumq; poſſeſſorum quoad cenſus & reditus, verùm etiam cum debita deſignatione limitum & conterminorum.

CAPVT V.

NON raro contingit bona beneficiorum, quæ annuis cenſibus & reditibus aliiſque oneribus grauata ſunt, culpa ipſorum Beneficiatorum euinci. Ad id impediendum mandamus, vt omnes & ſinguli eo tempore, quo ſpecificationem bonorum ad beneficia ſua ſpectantium Archipreſbytero tradere debent, ſimul etiam tradant ſpecificationẽ cenſuum, redituum, & aliorũ quorumcumque onerum, quibus bona illa ſubiecta ſunt; & inſuper eadem illa onera omnia perſoluta eſſe, tempore viſitationis alternis ſaltem annis per apochas vel aliàs ſufficienter doceant, ſub pœna arbitraria.

CAPVT VI.

CENSVS ac reditus quorumcumque granorum & leguminum, nec non vini,

vini, olei, halecum, ceræ, & ſimiles Collegijs Eccleſiaſticis, beneficijs, fabricis Eccleſiarum, menſis pauperum, ac quibuſcumque pijs locis debiti, in ſpecie quotannis perſoluantur; ſaltem non in certa ſemper & eadem quantitate pecuniæ ſolui permittantur, niſi ob legitimam præſcriptionem aliter fieri debeat.

CAPVT VII.

IN omnibus bonorum Eccleſiaſticorum alienationibus, quæ à Sede Apoſtolica committuntur, videant illi de quorũ fide & integritate Sedes illa confidit, vt Eccleſiæ vtilitate perſpecta, omnia quæ in Pontificijs litteris præſcripta ſunt, maturè inueſtigentur, certis teſtimonijs comprobẽtur, riteq́; perficiantur, nulla habita ratione perſonarum aut partium: quæ cùm in huiuſmodi negotijs concordes ſunt, tunc maximè accuratè Commiſſarius aduigilare debet pro Eccleſię commodo; cuius bona, rectore ipſo, ſeorſum accepta pecunia, cõſentiente, ſæpenumerò ſub Apoſtolicæ auctoritatis clypeo diuendita & dilapidata ſunt.

CAPVT VIII.

VT bonorum Eccleſiaſticorum, quæ vel in emphyteuſim tradita, vel ad longũ tempus alio quouis titulo data ſunt,

memoria, quoad fieri poterit, conſeruetur; quilibet Eccleſiaſticus, cui aliquid in ſingulos annos eo quolibet nomine ſoluitur, dum in manuali ſuo annuam ſolutionem annotat, ſimul cauſam addat, numerum annorum exprimat: *E. G. tali die, menſe & anno recepi canonem* 8. *Flor. qui ceſſit in initio Iulij* 1608. *& eſt hic annus decimus talis emphyteuſios.*

CAPVT IX.

BONA piarum fundationum ad certos vſus relicta, alijs etiam pijs vſibus per adminiſtratores eorum, vel ſuperintendentes, propria eorum auctoritate non applicentur: ſed ſi quæ fundationes ob earum tenuitatem iuxta voluntatem fundatorum adimpleri nequeant, ideoque reductione opus ſit, vel bona illarum ad alios meliores aut magis neceſſarios vſus conuerti expediat, ad nos aut Sanctam Sedem Apoſtolicam iuxta ſacros Canones recurratur.

Clement. Quia contingit. De religioſis domibus.

CAPVT X.

QVICVMQVE piorum locorum adminiſtrationem procurationémve ſuſcipiunt geruntq́;, illud in primis ſępè cogitare debét, ſe pauperum, pupillorum, viduarum, ſenum, egeſtate aut ægritudine laborantium, peregrinorum, & aliorum id generis

neris hominum aliena ope indigentium, prout propria vniuſcuiuſque loci inſtituta ratio eſt, curam ſuſtinere: & illam quidem tanti eſſe, vt quidquid in illos vel miſericordiæ, vel beneficij, vel operæ, vel opis, vel officij confertur, quidquid rurſus damni, detrimenti, iniuriæve infertur, id omne CHRISTVS Dominus ſæpè in Euangelio demonſtret in ſe collatum eſſe; ac proptereà ſe in die iudicij, prout benè illis factum, aut neglectum, omiſſúmve in eorum neceſſitatibus ſubleuandis erit, retributurum.

CAPVT XI.

ELEEMOSYNÆ menſarum pauperum, ſine humano affectu, & acceptione perſonarum, ijs tantùm diſtribuantur, qui verè pauperes ſunt; neque tamen inopiæ & egeſtatis tantùm, ſed morum etiam ac vitæ probitatis ratio habeatur.

CAPVT XII.

GAZOPHYLACIA ſiue trunci, vt vocant, oblationum, tribus diſtinctis ſeris firmentur; & clauis vna ſit penes Paſtorem. *Edicto Caroli V. de anno 1531. art. 16.*

TITVLVS XXII.

De Regularibus & Monialibus.

CAPVT I.

QVÆ in hac, & in Prouinciali Synodo, de Sacramentis, doctrina & prędicatione Verbi Dei, ac Officio diuino, bonorumq; Eccleſiaſticorum conſeruatione, & aliàs conſtituta ſunt; ea omnia, quatenus Regulares tangunt, ab ijs diligenter ſeruentur.

CAPVT II.

IN veſtitione Religioſorum, aut Monialium, non fiant ſumptus; in profeſſione verò & primitijs frugales tantùm & moderati.

CAPVT III.

Cap. Quia ingredientibus. 19. quæſt. 3. c Quia ingredientibus. De teſtament. iuncto c. fin. De ſimonia.

SCIAT quilibet Religioſus, etiamſi beneficium curatum vel aliud quodlibet obtineat, vel etiam Abbatiali dignitate emineat, non tamen licere ſibi teſtamentum condere, ne quidem de bonis quæ induſtria ſua acquiſiuit, ſine ſpeciali permiſſione Suæ Sanctitatis.

CAPVT IV.

RELIGIOSVS promotus ad beneficium curatum Monaſterio nō ſubiectum,

inuitus

inuitus & nobis non conſentientibus per Prælatum ſuum Regularem beneficio illo priuari, domumq́ue reuocari non poſſit: niſi Prælatus contrarium tentans legitimo priuilegio fulciatur.

CAPVT V.

IMPRVDENTER agunt, qui voto ſe obſtringunt, & per profeſſionem ſe obligant ad ea ſeruanda, quæ non ſatis norunt. Cumq́ue imprudentiùs inchoata, minùs quoque felicem ſucceſſum habere ſoleant; meritò in omnibus & ſingulis Monaſteriis vtriuſuis ſexus, regula & ſtatuta Nouitijs ante profeſſionem ſæpè legi & explicari debent: atque ita fieri mandamus.

CAPVT VI.

REGVLARIVM Superiores, quibus alicuius Sanctimonialium Monaſterij cura impoſita eſt, omni cura & ſtudio prouideant, vt Monialibus ij potiſſimũ Confeſſarij aſſignentur, qui non modò in caſibus conſcientiæ probè verſati, ſed etiam ætate prouecti, ſummaque morum integritate ſint probati. Nec minorem cautionem adhibeant circa vitam & mores ſociorum ipſis Confeſſarijs adiungendorum.

Digitized by Google

CAPVT VII.

NEMO, cuiuſcumque ſtatus vel conditionis fuerit, Religioſos fugitiuos, & extra Superiorum ſuorum obedientiam vagantes recipere, fouere, aut ad Sacramēta vel Eccleſiaſtica miniſteria admittere audeat, ſub pœna excommunicationis.

CAPVT VIII.

VNIVERSÆ Moniales, ſi fieri poſſit, vno loco dormiant à Præfecta aut Vicaria optimè concluſo, cuius claues ab ipſa Præfecta aſſeruentur; ſingulæ quoque in ſingulis lectis, & in ſingulis etiam cellis. Et dato ſigno eundi cubitum, locoque vbi dormitur clauſo, Præfecta aut eius Vicaria, aut aliqua ex diſcretis omnes cellas viſitet, vt an omnes in ſuis dormiant locis animaduertat.

CAPVT IX.

MONIALIVM Confeſſarij quicumque ſint, itemque Capellani, ne munus aliquod, vel minimum, etiam eſculentum aut poculentū, neq; corporalia, purificatoria, aliáve quæ ſacro altaris vſui ſint, à Monialibus, quæ Præfectæ non ſint, recipiant.

CAPVT X.

DIEBVS Dominicis & feſtiuis, vt otium, à quo mala omnia oriuntur, euitetur; Moniales

Digitized by Google

Moniales tempus, quod ſibi à diuinis offi-
cijs & conſuetis orationibus ſuperfuerit, in ſacra aliqua lectione cõſumant, quę ad Dei & ſui ipſarum cognitionẽ eas ducat, viamque monſtret perfectionis & æternæ vitæ.

CAPVT XI.

QVIBVS etiam diebus ſacra Euchariſtia ſumitur, cum nemine externo colloquantur, niſi neceſſitas ita poſtulet.

CAPVT XII.

CVM Sacra Congregatio declarauerit Epiſcopo non licere licentiam dare matri, ſororibus & conſanguineis Monaſterium ingrediendi cauſa viſitandi filiam, ſorores, vel cognatas graui aliqua infirmitate detentas, etiamſi eſſent in mortis periculo, & multò minùs quando filia aut aliæ profeſſionem emitterent, vel habitum ſuſciperent Religionis; nemo deinceps ob huiuſmodi vel alias minùs rationabiles cauſas Monaſterium Monialium ingrediendi à nobis licentiam petat, vel ægrè ferat ſi repulſam patiatur. *Super c. 5. ſeſſ. 25. De Regular. & Monialibus.*

CAPVT XIII.

VISITATORES quoque, Confeſſarij, & alij quicumq; Superiores Monialium ſepta clauſuræ non ingrediantur, niſi viſitationis, Sacramenta ægrotis adminiſtran- *Conſtitut. Greg. XIII. incip. Dubijs quæ emergunt.*

di, moribundas conſolandi, ſpiritualibuſque officijs adiuuandi, aut alia neceſſaria cauſa, ſub pœnis contra ingredientes à iure decretis. Illos ingredientes & egredientes, & ſimiliter quoſcumque alios ex neceſſitate clauſtrum ingredientes, & intra ſepta illius commorantes, duæ Moniales ex ſenioribus ſemper comitentur.

TITVLVS XXIII.

De Iudicibus delegatis, & Examinatoribus.

CAPVT I.

CVM ex deſignatis per Concilium Prouinciale ad delegationē cauſarum in partibus, mortuus ſit R. Pater *D. Libertus Schaloun*, Abbas Vlierbacēſis, in eius locū hęc Synodus nominat & deſignat R. Patrē *D. Godefridum Lemmens*, Prælatum dictę Abbatię.

CAPVT II.

Seſſ. 24. cap. 18. De reform.

SIMILITER ad ſatisfaciendum decreto Concilij Tridentini de conſtituendis examinatoribus, Synodo huic propoſiti, & ab ea probati ſunt qui ſequuntur,

D. Henricus Franciſcus vander Burch, I. V. Licentiatus, Decanus Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis, & Vicarius generalis

lis Archiepiſcopatus eiuſdem.

D. ac M. Petrus vanden VViele, S. Theol. Licentiatus, eiuſdem Eccleſiæ Metropoliticæ Archidiaconus.

D. & M. Ioannes vandē Eynde, S. Th. Licentiatus, ſupradictæ Eccleſiæ Pœnitētiarius.

D. & M. Diſmas Briamont, S. Th. Licentiatus, & Canonicus dictæ Eccleſiæ.

D. Iacobus Boonen, I. V. Licent. Canonicus & Officialis Mechlinienſis.

D. & M. Petrus Iaecx, S. Th. Licentiatus, & Plebanus dictæ Eccleſiæ Metropolitanæ.

D. ac M. Iacobus VVachtelaer, Sacræ Theologiæ Licentiatus, & Paſtor Eccleſiæ S. Catharinæ ciuitatis Mechlinienſis.

CAPVT III.

MEMINERINT hi iuramēti, quo ſe obſtrinxerunt, videantque vt omni humana affectione depoſita munus à ſe ſuſceptum rectè curent atque adminiſtrent; & nihil prorſus occaſione examinis antè vel pòſt accipiāt, ſub pœnis Cōcilij Tridentini. *D. cap. 18.*

CAPVT IV.

IN omnibus & ſingulis examinis interrogationibus ſpectetur nō ſolùm vniuſcuiuſque eorum qui examinantur ſcientia, ſed etiam vſus, iudicium, ingenij vis, ac ſolertia.

CA-

CAPVT V.

Sacra Congreg. Conc. Trid. ſuper d. cap. 18.

CAVTIO diligens ſit ne alterius nomine quis examen ſubeat; & vt præferatur minùs doctus, modò idoneus, quando eius mores ſunt noti & approbati, doctiori cuius vita ignoratur.

CAPVT VI.

NE quemquam, de quo examen periculumq́ue fiet, examinator collegis aut collegæ ſuo vlla ratione commendet.

TITVLVS XXIV.

De Synodo Prouinciali, & Diœceſana.

SCIANT Capitula exempta exemptionémve prætendentia, ſe nõ tantùm ad ſtatutorum Synodi Diœceſanæ, verùm etiam ad decretorum Synodi Prouincialis, prout à Sacra Congregatione declaratum eſt, obſeruationem teneri.

Super cap. 2. ſeſſ. 24. De reform.

DECRETA & legitimè publicata ſunt hæc Statuta Synodalia, præſente præcipuo totius Diœceſis Clero. Mechliniæ, die VI. Maij, anno Domini M. DC. IX.

FINIS.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ *Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgij Principum Priuilegio cautum eſt; ne quis* Decreta & Statuta Synodi Diœceſanæ Mechlinienſis, *præter voluntatem Balthaſaris Moreti imprimat, aut alibi impreſſa in inferioris Germaniæ ditiones importet venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & alia graui pœna mulctabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ,* XVII. *Ianuarij* M. DC. XI.

Signat.

S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantiæ,

I. de Buſchere.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google